§. 4. Ad conciliandas itaque tot *Auctorum* dividias, ſuppono I. *Imperium Romanum* hodieque *in mundo eſſe*, non quidem ratione partium integrantium, ſed eſſentialium. adeoque ſummè diminutum eſſe, non tamen planè extinctum aut abolitum. quæ ſibi ſomnia fingunt è *Calvinianis Hugenotæ* in Galliis, *Scoti & Angli* in univerſum, è *Pontificiis Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum* aliqui, è Noſtris *Politicorum* non pauci: cum tamen plerique fateantur, *Papam Romanum* non Urbem modò, ſed & ditiones aliquam multas, Imperio Occidentali olim ſubjectas, *jure uſurpatô*, quin, ut alii volunt, titulo præſcriptionis, *poſſidere*. Sed & *Rex Germanorum* multa tenet *Italiæ* nomine Imperatoriô, quod teſtantur homagia ducum *Mediolanenſis, Montisferatenſis, Mantuani*, Principis *Maſſæ*. qui cives audiunt Imperii. Immò illa omnia hodiéque obtinet, quæcunque *Romanis* olim ſubjacuerunt, nec jure belli, derelicti occupatione, donatione, pactionibus aliisve amittendi titulis, aut de facto pridem aliis ceſſerunt.

v. Reſpublica Romana Scriverii p. 546. Romano-Germanica Lampadii p. 330. V. Grotius de jure belli ac pacis l.2.c 9. §.11 Append. Comment. p. 129. ſeq.

§. 5. Taceo *Electores*, ceteróſque *Status Imperii*, qui teſtantur ſuperare adhuc dum præter nomen ac nudum Imperii titulum, rem ipſam, *quoad formam eſſentialem*, Monarchiæ ſacræ conſtitutivam. nempe *prærogativam* hodiè in univerſa Chriſtianitate. cum *totius Orbis dominium* Imperatores Romani nunquam ſibi vindicarint. quicquid etiam palponibus videatur. quos in ordinem redegerunt Viri CLmi *Grotius, Lampadius, Conringius*. qui adeundi. De formis accidentalibus faciles ſumus, ſæpiculè illas, aliquando quotſeculis, variaſſe, quin & interruptum fuiſſe Imperium ſub *Auguſtulo* concedimus. Hinc ab *Imperatore Turcorum Orientali Occidentalis ſummum caput Orbis Chriſtiani* ſalutatur. quod pactiones toties initæ, quæ *Teſtamenti* nomine illis veniunt, abundè loquuntur. Memini equidem me legere apud *Johannem de Serres* ſuperbum titulum, *Heinrico IV. Galliarum Regi à Sultano* tranſmiſſum, cui audit *le plus glorieux, Magnanime & grand ſeigneur de la croyance de Jeſus Chriſt, eslevé entre les Princes de la Nation du Meſſie. Terminateur des differens, qui ſurviennent entre les peuples Chreſtiens, Seigneur de grandeur, Majeſté & richeſſes & claire-*

G. l. c. c. 22. §. 13 L. part. 3. c 9. C. de Imp. Rom.

au deuxieſme volume de l'hiſtoire de France page 1072

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn358107733/9
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft